



Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Iubilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Q. 3. An Indulgentiæ pro defunctis concessæ, suspendantur Anno Sancto?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

100 P. 2. De Jubilæo Anni Sancti.
gentiarum est , ut Fideles maxime
concursu & devotione accedant vi-
sitaturi & frequentaturi Limina A-
postolorum, & alias Basilicas Urbis.
Hic autem finis habebitur , etiam si
maneant Indulgencie non plenariae ,
ut bene tradit Navarrus Notab. 25.

Quare particula illa, Indulgencias,
in illis Bullis , intelligenda videtur
cum restrictione ad plenarias , nisi
aliunde constaret de expressâ inten-
tione Pontificis, suspendendo etiam
non plenarias.

R. 4. Multò minus suspenduntur
Indulgencie ab Ordinariis locorum,
aliisque Papâ inferioribus concessæ
aut concedendæ. Patet ex ipsis Bul-
lis, quibus restrictè dicitur : *Indulgen-
tias & facultates per quoscumque Roma-
nos Pontifices Prædecessores nostros, ac et-
iam Nos, concessas &c.*

Q. 3. An Indulgencie pro Defunctis
concessæ, suspendentur Anno Santo ?

R. 1. Non suspenduntur Indulgen-
tiae pro solis Defunctis directè & ab-
solutè concessæ. Layman, Gavantus,
Leza-

S. 4. De suspens. Indulgenc. &c. 101
Lezana, Quintanad. tr. 1. & 8. dubio
utroque 14. & alii communiter, con-
tra Tannerum n. 106. Atque id satis
probat cessatio finis suspensionis pro
illis, & praxis apud Gobatum n. 45.
& apud eundem declaratio Innocen-
tii X. & apud Bonacinam & alios de-
claratio Urbani VIII.

Accedit declaratio Clementis X.
in suo Decreto notificativo, cuius sa-
pius jam meminimus: quæ certam
omnino facit nostram responsionem
etiam pro futuris temporibus, secun-
dum ea quæ notavimus q. præc. R. 2.
sub med.

R. 2. Indulgenciarum concessæ vivis sic
ut possint illas applicare defunctis,
ensebantur quidem à nonnullis, in-
ter quos etiam Gobat, non esse su-
spensæ, & hoc fusè probat Quintan-
advenas suprà; Verum hodie absolu-
tè dicendum est eas esse suspensas, ob
declarationem Clementis X. in suâ
Notificatione, his verbis:

Declaramus, quod in generali suspen-
sione Indulgenciarum, non intelligantur

Indulgentias Altarium privilegiatorum pro defunctis, neque alia concessæ eodem modo pro defunctis; verum illæ suspensa habeantur, quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere Animabus Purgatorii per modum suffragii.

Unde, quod in prioribus impressionibus dixerat Pater Gobat, scilicet Indulgentiam Communionis generalis suspendi quidem quoad vivos, ut hi sibi applicare seu acquirere non possint; non autem suspendi quoad defunctos, seu posse à vivis præstantibus opera præscripta applicari defunctis; hoc, inquam, quod dixerat, visâ istâ Clementis declaratio ne revocat in postremâ editione anni 1681. & quidem non semel: nam revocat & primò quidem latè refellens resolutionem cuiusdam celebris Theologi, Appendix 2. post n. 48. deinde alterà Appendix post n. 197.

Et R. P. de Noyelle litteris suis, de quibus Q. præc. R. 2. postquam dixit, declarasse Summum Pontificem (Clementem X.) suspensas esse eas
Indul-

Indulgentias, quæ vivis conceduntur cum facultate applicandi defunctis per modum suffragii; subdit: *Vi* hujus declarationis censentur suspensa Indulgentia Communionis generalis, quas proinde hic Romæ non promulgamus, immo perentibus negata est licentia promulgandi.

Quod autem speciatim dictum est de Indulgentia Communionis generalis, dicendum est & de aliis concessis vivis cum facultate illas applicandi defunctis; ut habentibus Numismata affecta Indulgentiis Quinque Sanctorum, Sancti Caroli, &c: dicendum, inquam, est, illas sic suspendi Anno Sancto, ut nec ipsis defunctis acquiri seu applicari possint.

Q.4. Quanam alia, præter Indulgentias, suspendantur Anno Sancto?

R. i. Ex Bullis posterioribus, suspenduntur omnes & singula facultates & indulta absolvendi etiam in casibus Sedi Apostolice reservatis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis.... quorumvis, etiam